

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis septimi - Fasciculus secundus): Vol. VII.

London, 1830

Seite 8

48

MONADELPHIA PENTANDRIA.

E. supracanum. *L'Herit. Geraniol. t. 2. DeCand. Prodr. v. 1. 645.*

E. petraeum Prodromi, nec Willdenovii aliorumque.

Geranium rupestre. Cavan. Diss. v. 1. p. 225. t. 90. f. 3.

In Olympi Bithyni cacumine. \mathcal{A} .

Radix crassa, lignosa, multiceps, perennis, extus castanea. *Caulis* plures, erecti, simplices, diphylli, vix unquam divisi, subangulati, pilosi, apice tantum floriferi. *Folia radicalia* numerosa, caespitosa, petiolata, interruptè pinnata, undique piloso-incana; foliolis majoribus profundè et acutè pinnatifidis; minoribus indivisis alternis; *caulina* bina, opposita, sessilia, minora, minusque composita. *Stipulae* lineari-lanceolatae, acutae, petiolorum basi adnatae. *Pedunculi* terminales, simplices, uniflori, subumbellati, numero varii, rubicundi, pilosi, laxè patentes. *Bractae* ovatae, indivisae, membranaceae, pilosae, fusciscentes. *Flores* rosei, polygami. *Sepala* elliptico-oblonga, concava, mucronata, trinervia, extus pilosa, margine membranacea, albida. *Petala* rotundata, retusa, brevius unguiculata, unicolora. *Stamina* floris masculi nullo modo monadelphae; *filamenta* alba, *fertilis* recurvo-patentia, subulata, basi dilatata et utrinque bidentata, *sterilia* multò breviora, ovata, tridentata; *antherae* roseae. *Rudimentum* tantum pistilli saepius adest. *Fructum* et flores femineos v. hermaphroditos non vidi.

In icone Baueri stamina minus accuratè representantur; sunt reverà decem, alternè sterilia ut in aliis generis speciebus, nec quinque quorum omnia fertilia.

Ab *Erodio petraeo* Willdenovii, cum quo beatus Smithius confudit, optimè distinguendum foliis tomentosis cinereis, pedicellis calycibusque incanis, horum costis coloratis nudiusculis *Helianthemis* cujusdam ad instar, nec pilis longis vestitis, filamentis sterilibus latis ovatis saepius tridentatis quam fertilibus duplò brevioribus, denique floribus polygamis. In *E. petraeo* stamina sterilia sunt lineari-lanceolata, nullo modo dentata, fertilibus ferè aequalia.

a. Calyx.
b. Petalum.

A. Calyx, cum staminibus floris masculi, auctus.
C. Calyx, cum fructu.

TABULA 652.

ERODIUM ABSINTHOIDES.

ERODIUM subacaule, pedunculis 3—4-floris, foliis adpressè sericeis pinnatis, foliolis pinnatifidis: laciniis linearibus acutis passim dentatis, petalis subrotundis calyce majoribus.

E. absinthoides Prodromi, nec Willdenovii aliorumque.

E. chrysanthum. L'Herit. med. No. 2. sec. DeCand. Prodr. v. 1. 645.

In monte Parnasso. \mathcal{A} .